Georgii Benedicti Harlemensis
Poëtæ acutiſsimi
Poemata Posthvma
In quîs

Epigrammata;
Epitaphia;
Elegiæ.

Operâ & ſtudio
Petri Scriverii Harl.
In lucem protracta.



Lvgdvni Batavorvm,
Ex Typographeio Chriſtophori Guyotij,
anno cIↄ. Iↄ. c.I.

Io. Posthius Archiater Wirzeburgicus
Ad V.C. Ianum Gruterum I.C.
Super obitu G. Benedicti Harl.

IAM *noster fuit ille, mi* Grutere,
Et vili tegitur sepultus urnâ
Divini Benedictus *oris, ille*
Phœbi patris ocellus & voluptas,
Qui te plus oculis suis amabat,
Quem tu plus oculis tuis amabas.
Illum, prò dolor, abstulêre nobis
Martis pessimæ Alastoris Calendæ,
Fractum continuâ malâque febri:
Nullâ quæ medicabilis vel herbâ
Vel succo fuit. hunc, Grutere, *amicum*
Vatemque eximium fleas necesse est
Docto carmine, quod legant nepotes,
Tam sanctumque probent amentq; amorem;
Qui vinclis adamantinis ligatus
Vel post fata remanserit suprema
Constans, inviolabilis, perennis:
Hoc, Grutere, *bonos decet sodales,*
Inprimisque pios decet Poëtas.

Viro

Viro Nobilissimo

IANO DOVSÆ

Nordouici Domino,

Poëtæ & Historico Principi,

PETRVS SCRIVERIVS

dedicat consecratque.

Antè diem raptum ne solum Elegia Secundum
Fleret, & in sævos solveret ora Deos:
Antè diem manibus Benedictum sustulit uncis,
Et tulit in censum trux Libitina suum.
Vnanimi, mi Dousa, iugo tàm dira feramus
Tempora, queîs nobis ille vel ille fuit.
Inclitaq; ingenij reverenter signa colamus,
Demus & hæc patrio sidera tanta polo.
*Iuliæ Amatorem * Prosper cum Fratribus edat;*
En ego Municipis do Monimenta mei.
Illa, inquã, Monimenta mei veneranda Georgî,
Si placet, auspicijs prodeat iste tuis.
Longiùs haut potuit tenebroso carcere claudi,
Callidus hinc tineas effugit, indè situm.
Adde quòd ipse meâ iam solvere sponte parabam
Vincula, & huic lucem conciliare suam.

*Allusum a[d] vernaculum nomen Bonaventuræ; Vulcani put[o] qui Edition[em] iij. Fratrum Secundi, Gr[u]dij, & Ma[rulli] parat.

Quippè

Quippè videbatur; postquàm hæc incōmoda secli
Se nimis extollunt; utilis esse mihi.
Cùm citharâ magnū ventosus Marsya Phœbum
Provocat, & celsâ Blennus in arce sedet.
Cùm meus ad Musas sibi non rudis esse videtur
Curio, cùm demens serpere nescit humi.
Vtilis ille istos vatum sedare tumores,
Deijcere & fastus, vane Poëta, tuos.
Frigida qui macræ committis Erotica Famæ;
Forsan & es parvum dignus habere locum.
Ast illis tot lima notas tua nuper inussit,
Vt nota sit totus, qui liber antè fuit. (dē?
Et quid! adhuc aliquā speras tibi Carmine lau-
Quàm tibi cor tepidum, duraq; fibra sedet!
Accipe pauca mei purgata Poëmata Civis,
Vt videas quantò sint tua scabra magis.
Accipe & hæc tu, qui tantū Itala carmina laudas,
Omniaq; intrà Alpes Numina clausa putas.
Sic est. Parnassum sibi vindicat Italus omnem,
Atque negat nostris Versibus esse locum.
Scilicét huic propria est divina Poëtica soli,
Ventilat huic plenos Calliopeia sinus.
Quidquid Gallorū, Batavorū quidquid ubiq; est,
Huic Buccone minùs vel Lucumone sapit.
O miseros nos, ô, miseros! queîs Ausonis aura
Defuit, ô, queîs nec lac bona Ruma dedit.

Ergò

Ergò nihil nobis Salis est, nihil ergò Leporis?
Non nobis Venus est, non Venerisq́ Puer?
Et Veneris satis est, Salis & satis atque Leporis:
Indicium nobis iste Poëta facit.
Itale Mome crepa. tuq́, ô, cui mictilis est merx,
Vapula, & huic Civi cede Vacerra meo.
At tu, Dousa, fave. mactusq́ hoc munere, nec me
Velle minus, majus nec dare posse puta.

AD HARLEMVM.

Inclita tot pridem Bellis, partisq́ Trophaeis,
Holcade serratâ cùm tibi victus Arabs,
HARLEMVM *veneranda mihi mea Patria, tandem*
Incipe Musaeo nobilis esse choro.
Sat tua cinxerunt victricia tempora Quercus,
Delphica nunc circùm tempora Laurus eat.
Vtraque te Pallas trahat: en gratissima Tempe,
Et loca dat Musis non aliena Nemus.
Quà Fauni Satyriq́ leves, quà capripes Arcas
Subsilit ad Sparna lenè fluentis aquas.
O bona, sic rerum fastigia summa tenebis,
Sic quoque cum Batavâ nil erit Aure tibi.
Quam tuus hic Civis, tuus hic purgavit Apollo,
Sub tua qui per me postumus ora venit.
Suscipe siderea vim mentis, suscipe vatem,
Suscipe Municipis tot Benedicta tui.
Suscipe & ad sacram tot Corcula nata Poësim,
Largiùs & fisci pasce favore tui.
Quae tibi si desint, nil vos vicisse juvabit,
Bellaq́ nil, versu ni celebrentur, erunt.
Quare, adeò veneranda mihi mea Patria tandem
Incipe Musaeo nobilis esse choro.

P. SCRIVERIVS.

Io. Posthius Archiater Wirzeburgicus
Ad Hieronymum Comelinum,
De Morte G. Benedicti Harl.

Vates *qui cecinit* Beatioris
Vitæ *commoda Martijs Calendis*
In lucem editus est, ut ipse testis.
Illæ eædem rapuêre nunc Calendæ
Et castissimum & optimum Poëtam;
Nempè illum Benedictum *in urbe natũ*
Harlemo: *olim ubi* Iunius *solebat*
Mentes pascere versibus canoris,
Et tristes Medicus fugare morbos.
Iam dic, mi Comeline, *nùm Calendæ*
Olim profuerint magis, Poëtam
Edendo vitiosum & impudicum;
Nunc an obfuerint magis, necando
Et castissimum & optimum Poëtam?

Livori.

Livor abi. non huîc poteris male dicere Vati,
In gremio matris qui Benedictus *erat.*

P. S. H.

Georgii

GEORGII BENEDICTI Epigrammata.

Ad Libellum suum.

Ex pur[illegible]is.

LIBELLE *parve, quem dicare Delfico*
Senatui cliens paro,
Scin' ore te referre quid velim meo?
Alumnus (inquies) tuus
Patrone meque seque consecrat tibi
Britannico procul mari.
Patronus esto mî, anxiumq́ vindica
Maligni ab ore Zoïli.
Tuum puta; tuus dedit: fave tuis,
Placere qui student tibi:
Inepta sunt & impolita quæ damus
Tuo dicata nomini.
Fatemur id quidem; at peracta debita
Amore gratitudinis.
Habe ergò utrumque, meque & hunc fove sinu
Tua, precor, Faventia.
Abito nunc, & hæc refer Senatui,
Libelle mi, duce Hercule.
Timésne? quid? timere desinas. meus
Patronus est, erit tuus.

Ad Eundem.

Qui priùs fueras meus Libellus
Nunc eris Domini mei Libellus;
Qui patrocinio sui favoris
Quantum eſt, aut erit uſque Zoïlorum
Arcebit placidus mibi tibique.
Felix, ô, nimiùm Libelle felix!
Ignotus modò qui d[illegible]bas,
Nunc es urbicus, antè rusticanus.

In Momum.

O Mome quid Libellulum carpis novum?
Quid inſoleſcis? quid minax notam paras
Inurere his, queis, impares licèt, meo
Senatui referre gratias paro?
Quis arbitrum te carminis fecit mei?
Senatus ipſe iudicabit. tu tace.

In Quendam.

Multis aurea multa polliceris
Singulis prope millies diebus
Per dextram fidei tuæ; nec umquam
Solvis ære fidem, datamq; perdis
Singulis prope millies diebus:
Sed quid perdere dico? non dediſti.

In Ebrioſum.

Quantus es ebrius es; nec mirum. cùm tibi fauces
Spumanti madeant noƈte dieque mero.

Nec

Nec tamen, ecce, pudet populo ſpectante vomẽ
Per vicos urbis tendere, perq; forum.
Poſt ubi concoctum temetum ſomno, illicò ſurgens
Sobrius eſſe cupis: crede renatus homo es,
Antè pecus fueras. ſurrêxti vix tamen, ecce,
Ebrius es cyathis, &, velut antè, pecus.
O Proteu, qui tot noſti tibi fingere formas,
Porcus abiſti hodiè, quandò redibis homo?

In Virtutis Encomiaſten.

Orator bonus es, fateor, ſed peſſimus actor:
Si pudor, aut taceas, aut age quæ loqueris.

De Biante Philoſopho.

Quùm foret hoſtili devicta furore Priena,
Omnibus una auri cura fugeq; fuit.
Unus in urbe Bias animi bona prætulit auro,
Aurum plebs; opibus dives uterque ſuis.

De Virtute.

Quid formâ meliùs? quid fulvo cariùs auro?
Quid toto regnis majus in orbe datur?
Iaſpide quid pulcrum magis eſt? quid melle tenaci
Dulcius? Hyblæis candidiuſque roſis?
Dulcior his Virtus tamen eſt & pulcrior una
Formâ, auro, regnis, iaſpide, melle, roſis.

XENIVM A. cIɔ. Iɔ. XXCIII.

Quis novus astrigero spectatur Phœbus Olympo?
Cur solito majus lumine lumen habet?
Dicite qui cæli denos cognoscitis orbes,
Nunc opus est Sphærâ, nunc opus est oculis.
An quia & ipse novo primordia concipit anno?
Si verum hoc, solitos cur superat radios?
An Venus & reliqui Phœbum coïere sub unum?
Aspicite, in medio jam micat illa polo.
An proprium terrâ fugiens se flexit in orbem?
Sic est: Dousæo lumine victus erat.
Sed cur nube tegit faciem, renuitq; videri?
Credo ego Dousæos ferre nequit radios.
Conjuncto præbent tamen unum lumine lumen,
Dum micat hic terris, dum micat ille polo.
Hic facit in tantam Phœbum splendescere lucem,
Et facibus solitas exsuperare faces.
Felix ergò novo Terra est, & Apolline Cælum,
Plus hæc, quòd Phœbo possit utroque frui.
Tu modò qui Phœbum hunc cælo, terræque dedisti,
Orbem cuique suum cælitùs attribuens,
Fac ut hic & centum & millenos luceat annos,
Aut Phœbum nobis restituas similem.
Ne Musis orbis & tanto lumine cassis
Deserat hic terras, deserat ille polum.

Aliud.

Quod felix mihi sit; tibiq; felix,
Vatum maxime Dousa; Ianus ille,

Recur-

Recurrentis origo Ianus anni,
Sex iam voluitur ampliùs diebus.
Nec Phœbum tamen his, ut antè, vidi
Accedentem oculis, nec occidentem.
Phœbe quid latitas, tuos aquosis
Celans nubibus implicansq́; crines.
Prodeas nove Phœbe. Quid moraris?
An Dousæ iubar inclitum extimescis?
Prodeas nove Phœbe. quid moraris?
Nec Dousæ iubar inclitum extimescas.
Idem lumen erit tibi, quod illi,
Pelletis tenebras uterque easdem.
Prodeas nove Phœbe. Quid moraris?

Aliud.

Si cùm Phœbæos Daphne vitaret amores,
Audisset cantus, maxime Dousa, tuos:
Pro lauru Daphne tua plectra sequuta fuisset,
Nunc tibi pro Daphne est laurus, Apollo caret.
Et meliùs: siquidem virtus tua notior exit,
Hanc trahis, illa artem spontè sequuta foret.

Iterùm de I. DOVSA.

Si mihi potandos pleno daret ore liquores
Musa hîc Pierios, hîc mihi Dusa suos.
Eligerem Dusam; tu fallax Musa valeres:
Numen hic, at mihi tu nomen inane fores.
Nam Musa ut fiam; fieri Dusa haut ego possim;
Dusa ut sim, fieri non ego Musa velim.

AD EVN-

AD EVNDEM
Pro Carmine & Munere.

Carmina si tibi dem, facis aurea, vel tua reddis:
Ingenij hæc vis est, illud amoris opus.
Alterutrum mihi erat satis & super. at tibi neutrum:
O pectus verè nobile! utrumque refers.

DE IANIS DOVSA & HAVTENO.

Dousiadem Hautenumque duos tulit unica Vates
Leyda, illum Latij carminis, hunc Batavi.
Janus vterque: quibus si Ianus tertius adsit,
Ingenijs pandent omnia clausa suis.
Quod cùm viderit hic, te dicet vtroque beatam
*Optabit *Claves & sibi Leyda tuas.*
Romaque, quem coluit, Janum pertæsa relinquet,
Optabit Ianos & sibi Leyda tuos.

*Claves insignia Vrbis Lugdunensis.

IN IVSTI LIPSII de Constantiâ libros.

Certabant Aiax quondam & Laërtia proles
Pellei invictas ob ducis exuvias:
Scilicèt his armis occulta latere putabant
Robora, queîs alter surgeret Æacides.
Jam Batavi victor Martis nova suggerit arma
Justus Achillæis apta magè exuvijs.

Quæ

Quæ sint illa rogas? est constans robore pectus;
Quod peream, si umquam Marte perire potest.
Non eget hic clypeo Veneris, non Tethyos armis,
Quæ dedit Ætnæo Lemnius igne pater.
Hunc Phrygius gerat Æneas, hæc Phthius Achilles
Ipse armis didicit vincere posse suis.
Hujus ob exuvias certa, qui vincere certas:
Sic aut nulla feras, aut mala sponte feres.

Ad IANVM DOVSAM Patrem, XENIVM A. cIↃ.IↃ.LXXXVI.

Dousiadæ Iani felices opto Calendas,
Finem anni veteris principiumq; novi.
Opto iterùm; sic ille meret: nam Ianus hic ipse
Æternum illius nomine nomen habet.

Aliud De IANO DOVSA & PHOEBO.

Una utrique salus Dousæ Phœboq;: secundum
Si neget huic annum, denegat ipse sibi.
Hic à Parnasso pendet, Parnassus ab illo,
Hic colitur Musis, hunc facit ille coli.
Majùs adhuc dicam Diuisq; agnatiùs ipsis,
Hic Phœbes dux est, ille Heliconiadum.
Phœbe fave, Dousamque fove, fovearis ut illo:
In solo Douså aut occidis, aut moreris.

Aliud.

Ecce novus currit sua per vestigia Titan,
Orditurque annum quem modò finierat.

Ingredere

Ingredere auspicijs, Vates, felicibus opto,
Felices in te nos quoque, Dousa, sumus.
Tu sacris reddes fecundum fontibus annum,
Et toto Eurotas diffluet orbe tuus.
Fallor ? an & Plautum nobis hæc proferet ætas,
Cumque illo veteres delicias Latij ?
Exultet cultore suo novus impiger annus,
Fecundo posset quo magis esse Iove?

In PLAVTVM V.N. IANI DOVSÆ *operâ restitutum.*

Ad Lectorem.

Plautus Latinas fecerat Comœdias
Plenas lepore & omnibus facetijs,
Quas magna sapè Roma terrarum caput
Spectavit effusis soluta risibus.
Ætas, sed (eheu!) seclis iniqua posteris
Reliquit arrosas malignis dentibus.
Venus iocosa, Risus omnis & Lepos
Vno iacebant obvoluti pulvere.
Quin illa plausu maximo Quiritium
Comœdia acta triste squallebat situ,
Induta vultum flebilis Tragœdia.
O dura Sors! quid non edax tempus potest?
Comœdiam mutârat in Tragœdiam.
Nunc, ecce, Dousa seculorum iniuriam
Vlturus acrioris ingenî face;

Densis

Densis tenebris Accium reconditum
Illustrat ipse, major aut par Accio.
Cedit Vetustas victa, succedit vetus
Splendor, Iocusque, & omnis Elegantia
Togata, Palliata Gratijs comes.
O læta Sors! quid Dousa vates non potest?
Tragœdiam mutavit in Comœdiam.
Agnosce, Lector. hanc prior Plautus dedit;
Nunc illum & hance Dousa. plus debes utri?

DE IVSTO LIPSIO.

Dùm canit Historias humano Lipsius ore,
Majorem Pythio se facit esse Deo.
Seu contrà Martem generoso pectore tendit,
Morte premit Martem nescius ipse mori.
Belgica quin dignos statuis victore triumphos?
Nonne vides binos succubuisse Deos?
Ingenio Phœbum superavit, pectore Martem:
O non tàm magno secula digna viro!

Ad IANVM DOVSAM Filium, ejúsdem Albo inscriptum.

Men' tuis etiám legi Tabellis
O flos Dousiadum, ô jubar Batavi
Solis? gaudeo. nec legi recuso,
(Sincerè loquor) imò me beatum
Vel uno hoc puto, quod legar Melissum
Inter Grotiumque Lipsiumque,
Sêcli illud veteris noviqué lumen:

Et tu

Et tu offers mihi quod peti decebat?
O non degener Ingeni Paterni!
Et tu te ipse? quid ampliùs? beasti
Me præter meritum. lubens fatebor;
Amplectarque lubens, quod obtulisti:
Tu quos offero mutuos amores
Contrà amplectere, Dousa, meque totum
Devotum tibi crede, crede sacrum.
Debeo hoc tibi, Dousicæque genti,
Debeo hoc Genio tui Parentis,
Docti (Iupiter) unicèque amandi:
Quem si tu (ut facis) impigrè sequare,
Næ mox effícies, ut orbis in te
Et Dousam audiat; & novum Secundum,
Sic ut sis quoque nemini secundus.

Ad Amicum De IANO DOVSA F.

Quæ mihi scripta dabas niveis Epigrammata chartis
Perstrinxêre aciem visa repentè mihi.
Agnovi Genium vatis, mecumque loquebar,
Aut Dousa, aut Dousæ Filius illa dedit.
Nec me judicium, nec dulcis vena fefellit,
Auctorem quæro, Filius auctor erat.
Nemo est, qui veteres meliùs, quàm Dousa, Poëtas,
Nemo illo, Dousam qui meliùs referat.

Ad IANVM DOVSAM F.

Traduci in natos patrio de semine mentem,
Firmiùs ut credam; tu mihi, Dousa, facis.

Intueor mores? Patrem mihi protinus offers.
Versus? ingenium Patris adesse reor.
Atque ego si taceam, satis hoc tua Musa loquetur:
Integritas, Virtus, omnia conveniunt.
Discrimen tamen est: tu summa petis, tenet ille:
Tu Genio vates illius, ille suo.
At tu perge & fac, vt postera secula quærant,
Tam bona qui cecinit, Filius, an Pater est?

STRENA ad Eundem.

Dùm novus in terras cælo delabitur annus,
Solque suum revocat, quod modò fecit, iter:
Convênere novem Musæ, Solemq; rogarunt,
Curreret ut felix, candide Dousa, tibi.
Aonio puerum, dicebant, fonte rigastis,
Crescat hic, & terris flumina magna ferat.
Annuit. & meritò. te si mundo inserat astris,
Extingui Aoniis credo veretur aquis.

In Medicinæ Methodum à IOHANNE HEVRNIO editam.

Oetheum perhibent sanato vulnere dextræ,
Pergameo templum constituisse Deo.
At quas pro meritis illi statuemus honores,
Qui sanas urbes regnaque tota facit.
Heurnius est: pleno cui dives Copia cornu
Effusas Medicæ contulit Artis opes.
Quas nunc ille iterùm totum diffundit in orbem,
Et sanare alios, sanat ut ipse, docet.

Quo

Quo duce jam Parca sua stamina rupta queruntur,
Et vacuus Stygio navigat amne Charon.
Quid loquor? ex ipsis trahit Orci faucibus ægros,
Pæoniamque stupet Cerberus ipse manum.
Nec mirum. major rediit quàm Thracius Orpheus;
Ille fuit Melicus, hic novus est Medicus.

Ad
HADRIANUM BLIENBORCHIUM I. C^tum.

Salve Nobilis Hadriane, salve.
Miraris quid agat tuus Georgus
Lugduno procul & procul Batauis
Viuens Hesperio poli sub axe?
Cessa: namque tui memor fideli
Servat pectore candidos amores:
Testis dextera, dextera illa testis
Quæ data Fidei mihi tibiq;
Fuit; nunc tacitæ ministra linguæ est.
Et quâ te ratione non amarem?
Qui Maneis Patris evocas sepulcro?
Qui tuam meliùs canis Rosalbam
Versu, quàm cecinit Poëta uterque
Corinnam Naso, Lesbiam Catullus.
O si fas foret illa jam intueri!
Sed credo hoc tribues tuo sodali:
Ille gratus erit, voletq; semper,
Etsi non poterit, remunerare.

Nunc illud sat erit, quod antè dixi,
Salve Nobilis Hadriane, salve.

In ejuſdem Parentalia.

Quid terris ereptam animam cœloq; locatam
Tui Parentis Hadriane mi doles?
Desine: nam terris eadem cœloque moratur,
Tibi superstes hic, ibi fruens Deo.
Ne dubita. facit hoc Superis gratissima Virtus,
Tuiq; rara carminis suavitas.
O fortunatos natoq; & carmine Manes!
Quibus nec atra hiantis ora Cerberi,
Nec Stygiæ nocuêre paludes. fallor? an ad nos
Lyram advolasse sensit Orcus Orphei?

In eadem.

Carmine dùm Patrem luges, ut Patria civem,
Restituis civem, restituisque Patrem.
Quis præstare unum te non miretur utrumque?
Ingenij hæc vis est; hoc Pietatis opus.
Patria tu Quercum, tu Laurum Phœbe ministres.
Hanc lyra, civi illam parta salus meruit.

In Zoilum.

Ingenio mea scripta carent, fateorq; : sed heus tu,
Dic cùm nil edas, quale tibi ingenum est?
Aut non es vates, aut es soli tibi: turpe est,
Non dare, si possis; carpere, si nequeas.

GEORGII BENEDICTI Epitaphia.

Memoriæ

Illustris viri

D. PHILIPPI SIDNEII

Equitis ex Illuſtriſſimâ Warvicenſium Familiâ,&c.

Qui incomparabili damno Reip. Belgicæ vulnere in prælio contrà Hiſpanos fortiter accepto paucis pòſt diebus interijt.

Ad Hoſpitem.

SIDNEII *vitam & mortem vis ſcire viator?*
Doctus, amans æqui, relligioſus erat.
Sic coluit Muſas, Aſtræam, ante omnia Numen:
Mitto genus. famâ nobilis ipſe ſuâ eſt.
Omnia non dixi: quis enim queat? ultima dicam
Facta, quibus vitam perdidit, & meruit.
Dùm ruit Hiſpanum pro Belgis acer in hoſtem,
Accepit telo vulnus, & interijt,
Mors bona felicem reddit, ſed & hunc bona vita:
Felix, qui vixit tàm benè & occubuit!

Aliud.

Ades viator, & volens audi & dolens,
Quod te docere mortui Manes volunt.
Nomen vide. Philippus est, Eques domus,
Virtutis, ingeniiq; famâ nobilis.
Nimis sed heu Philippus! Hoc nomen fuit
Omen sinistrum Belgicæ & Britanniæ.
Nam dùm tuetur utriusq; gloriam
Turmas fugaces hostium insequens equo,
Letale vulnus accipit, nunc hîc jacet:
Luctum sui reliquit omnibus bonis.
I nunc viator incliti Ducis memor,
Tuosq; oculos hujus tumuli spectaculo
Puta beatos esse, te miserum puta.

Dùm pugnat medios acer Sidnejus in hostes,
Et celeri illorum terga fatigat equo.
Obstupit Mavors, fulgentiaq; arma Philippi
Aspiciens, victrixné hoc duce Pallas? ait.
Dixerat: ille ducem letali vulnere figit
Eminus, & vincit, dùm fugit ipse, Deam.
At non Sidnejum: nam robur pectoris ingens
Immotum extremum mansit adusq; diem.
Quid loquor? accessit major quoq; fama cadenti:
Ordine Eques vixit, vulnere eques moritur.
Sic decus Ordo fuit vivo, nunc mortuus illi est.
Pro fluxo æternum sed dedit: hoc superat.

Occidit

Occidit Hesperiam contrà Sidnejus in armis,
Omen in occasu sed latet: ortus ibi est.

Vicinus leto fertur dixisse Philippus,
En Deus, en sacrum Belgica terra tibi.
Accepi vulnus, non pœnitet, optima causa est:
Huic iterum dabitur. si mihi vita datur.
O vox Sidneji verè Cygnëia! utriq;
Antè sacer vixit, nunc sacer emoritur.

Magnanimus vitam Belgisq; Deoq; Philippus
Vovit & impendit, unus utriq; sacer.
Roma tace Decium: vicit voto ille Latinos,
Hic votum: utriq; est fama, sed illa minor.

Sidnejum juvenem rapuit Mors invida; vivo
Dixisses olim Belgica, Et hic pater est.

Quid Musis cum Marte? nihil: Sidnejus, utrumq;
Qui prius in sese junxerat, occubuit.
Nunc lugent Musæ, luget Mars tristis, & ille
Quâ periit, vellent se periisse nece.
Scilicet hoc illis tantùm commune remansit,
Quòd simul hunc doleant, quo viguêre simul.

Dùm redit exanimis generoso Marte Britannis
Sidnejus patriâ ritè ferendus humo,
Quantus honor patriæ, quantus rediit dolor idem!
Magnus uterque: sed hic victus honore fuit.

Aspexit vulnus, luxitque Britannia: verùm
Gloria solamen vulnere parta fuit.
Nam plus laudis ab hoc flu. it, quàm sanguinis: illa
Orbe redundanti fecit in astra viam.
Mixtus ubi Heroüm turbis cælestibus Heros
Læta triumphali gaudia more canit.
O felix Heros! patria nam dignus ut olim
Veneris ad Belgas, dignior indè redis.

Anglia quòd sibi me, quòd Belgica terra reposcit,
Indicium vitæ est, indiciumq́ necis.
Vita accepta fuit, mea mors gravis omnibus una est:
Causa meos cineres hæc facit esse leves.

Ph. Sidnejum adhuc vivere.

IN MORTEM.

O Mors, quid dirâ petijsti glande Philippum?
Credideras tantum posse perire virum?
Non potuit: quippè æternùm virtute superstes
Vivit, & est famâ mors tibi, vita sibi.
I nunc, & fractâ speres cervice triumphum,
Nimirum hunc jaculo quo petis, ipsa peris.

Hd Hospitem.

Non hic Sidneji tumulus, ne crede viator,
Non est: sed geminæ Palladis, & Charitum.
Vivebant olim, in terris dùm viveret ille,
Scandentem cælos non potuêre sequi,

Non

Non potuit fluxum quoq; corpus: at ille lepores
Secum, & Palladium vexit in astra decus.
Arma reservavit Pallas sibi nuda: sed illæ
Nomen inane, &, quos urna tegit, cineres.
His se junxerunt: Pallas tumulo arma dicavit,
Fletum aliæ: doleas, hospes, & adde tuum.

Et Pietas, & sancta Fides hac mole jacerent,
Si possent illæ, posset & ipse mori.
Sed neq; mors illis nocet invidiosa, nec ipsi:
Vivus hic utrâq; est, utraq; viva Deo.
Vivite felices, felices vivite Manes,
Vobis mors non mors, sed nova vita fuit.

Vixit Sidnejus. quàm durum est dicere! vixit:
Sed Patriæ & Belgis: nam sibi vivit adhuc.
Belgica tu luge, populosa Britannia luge,
Quod dedit huic Mavors vulnus, utriq; dedit.

Sidnejus petijt polos.
Causam quæritis hospites?
Terrâ non potuit capi.

Cur fles Sidnejum? quia vulnere mortuus? erras.
Hoc ipso incepit vivere, quòd moritur.
Mortalis fuerat, mortalis desijt esse,
Ut nunquàm posset, debuit ille mori.

Et vivit pariter Sidnejus, & hac jacet urnâ,
Parte sui cælo, parte solo genitus.
Cælo animam, mortale solo sed corpus habebat:
Quàm justè moritur! reddit utriq; suum.

Qui credis miserâ sublatum morte Philippum,
Ignoras, quid sit vivere, quidvé mori.
Vita brevis mors est, mors rursum vita: Philippus
Hanc habet, illam habuit. vivit, an interijt?

Mors quia sejunxit divinum à corpore pectus,
Sidnejum luges, & perijsse putas.
Falsò: mutatâ Sidnejus sede remansit:
Cælum habitat, cælo traxerat antè genus.
Sic orbem liquit, quem plenum motibus horres,
Sic, quem tu speras, incolit ille polum.
Confer utrumque genus vitæ: nisi desipis, hospes,
Dices, hic vivit, vivus ego emorior.

Quæris, quò cessit Sidnejus? mens in Olympo est,
Sanguis apud Belgas, Anglia corpus habet.
Sic nihil amissum est Sidneji: viva supersunt
Omnia, & ille omni parte superstes adhuc.
Discrimen tamen est: terras tantùm antè colebat,
Nunc colit has terras, nunc colit ille polum.

S. M. Io-

S. M.

IOHANNIS MOLANI

Præceptoris optimè de se meriti.

Molane, mi Molane, quem sacris Deæ
Novem imbuêre fontibus,
Suoque Musa pendulum uberi ubere
Replevit, ut sacerrimum
Seni tuo suprema ad usque funera
Ab ore fluxerit Melos:
Molane, mi Molane, quo superstite
Sepulta Brema viveret.
Quot omnibus stupentibus bonis tua
Dedêre fata lacrymas?
Sed hæc fuêre: nunc siles reconditus
Molane, si tamen siles.
Loquente namque me silentium perit
Tuum; laboribus tuis
Loquor, meisque tu; tua verba sunt, ego loquor.
Et ut illa dicere desinam
Tuo labore docta; mox & alterum
Dabis Melos, quod audient

Heliconides,

Heliconides, quod omnis orbis, & novus
Repentè tu clues olor.
Quòd hic canat nece imminente, tu tuis
Penetras sepulcra cantibus.

Dùm Mylius patrijs expulsus finibus, exsul
Vivit in ignoto, sed meliore, solo:
Relligio cælum petijt, Patremq́ rogavit
Viveret ut tanto liber ab exsilio.
Audijt extemplò sobolem, Myliuq́ vocato,
Æthereas illum iussit adire domos.
Flandria quid dices, ubi, quem patrijs procul oris
Expuleras, cernes incolere hanc patriam?

Plangite Pierides nova funera plangite Musæ:
Parcarum est, Phœbus qui modò vester erat.

Mortuus est An° cIↃ. IↃ. LXXXIII.
XVI. Iulij.

GEORGII

GEORGII BENEDICTI Elegiæ.

I.

Ad Illustrem

Virum ac Dominum
D. THOMAM BARONEM
DE BVRGH, VRBIS BRIELÆ
Gubernatorem, &c.

Cùm Epitaphia in Mortem
Ill. V. PHILIPPI SIDNEII EQ.
Illi mitteret.

DVM *fleret tristis Sidneios Belgica Manes,*
Queîs olim vivis unica cura fuit.
Me quoque communis Patriæ lacrymabile funus
In luctum & querulos iussit abire modos.
Tu, quem Diva potens dominantis terror Iberi,
Rectorem Brielæ mœnibus esse dedit.
Qui patrem Mosam, Neptuniaq́; ostia servas,
Ostia præsidijs te duce tuta virûm.
Accipe & hos luctus pacatâ fronte serena,
Ut potes: & fallor, an facis ante preces?

Spero

Spero equidem, nec vana fides. Tibi namq; Philippus
Ille fuit longâ notus amicitiâ.
Quid memorem noctes sub eisdem pellibus actas
Nuper ad obsessæ mœnia Sutphaniæ?
Acer ubi excepit pugnando nobile vulnus,
Quo, Belgas salvos dùm cupit, ipse perit.
Quos jam sponte venis simili virtute tueri,
Et bello priscis addere nomen avis.
Nec satis: & doctas jungis cum Marte Camœnas,
Forti animo dicam major, an ingenio?
Scilicet has primo coluisti flore iuventæ
Annos ingenio jam superante tuos:
Nunc ubi Mars te ad bella vocat, non negligis illas,
Sed paribus studijs unus utrumq; foves.
Sis fautor, nostrumq; leva, Vir magne, laborem:
Sis placidâ tantùm fronte, levatus erit:
Carmina ne mutent animum: si squallida, luctus
Fecit, & ex lacrymis orta fuêre meis.
Quæ si grata. quis est me fortunatior uno?
Cui licuit tanto posse placere viro.

II. De Adventu V. N. IANI DOVSÆ, *Ordinum Hollandiæ ad Ser. Reginam Elisabetham* LEGATI, In Angliam Gratulatio.

Fortè Caledonias ibat Dea Fama per urbes
Lætitiæ placido ponè sequente choro.
Ibat & exultans, iam iamq; ait adsore Dousam:
Fallor, an & tumido iam dare vela mari?
Audivi simul ipse: audito nomine Dousæ,
O Fama, ô, dixi gaudia quanta refers!
Rex pelagi Neptune parens, Eurique favete,
Et vatem optatis sistite litteribus.
Iamque suum cursu Dictynna peregerat orbem,
Orbe tamen Batavo Dousa relictus erat.
Mirabar quæ causa mora, pariterque dolebam,
Credo etiam calamos ingemuisse meos.
Æole dicebam quid gaudia nostra moraris?
Si nescis, Dousa est: Æole, sterne viam.
Sterne viam, venit ecce Orpheus, venit alter Apollo:
Ni facis, ille Euros in sua vela trahet.
Dùm loquor, en tenues iterùm delapsa per auras
Fama ruit cælo nuncia, Ianus adest.
Nec mora: mox hilari meditatus gaudia versu,
Gratulor adventum, docte Poëta, tuum.

Gratulor

Gratulor, & meritò. quis enim non gaudeat illo,
Qui Charites secum, Pieridesque vehit.
Felix illa dies, Batavo quâ missus ab orbe
Dôusa Poëtarum maxime salvus ades.
Felix Oceanus, qui te transvexit, & aura:
Transvectas Charites debet uterque tibi.
Felix Anglia, cui novus es, licet hospes, Apollo,
Iam non est cælo, non Helicone minor.
Nunc quoque (quod toti patriæ precor & tibi felix)
Legati impositum nobile munus obis.
Sic idem Musas, Patriaq; tueris honorem,
Consiliis alter Nestor, Apollo lyrâ.
O animum dignum Dôusæo stemmate! dignum,
Quem canat æterno carmine Posteritas.
Sed quo Musa ruis? quid in altum laberis æquor?
Convenit immenso magna carina mari.
Tu vires agnosce tuas: nam dicere laudes
Pro meritis Dousæ non nisi Dousa potest.
Huic citharam, citharæque decus submissa relinque,
Sat mihi lætitiæ signa dedisse meæ.

III.
Ad Eundem vice Xenij missa.

SAlve Musarum Dux major Apolline Dousa,
Sospite quo Musis omnia salva manent.
En tibi, quæ possum, quæ debeo: cetera servo
Pectore, dum vivam, non peritura meo.

Nunc

Nunc sat erit tibi, spero, unum hoc, te judice, Dousa,
Quòd numeros numeris solvo, fidemq; fide.
Carmine non dico. Quis enim quis, maximè Vatum,
Digna tuis reddat carmina carminibus?
Nec tibi nostra suas ausa est obtrudere nugas
Ah paupertatis conscia vena suæ.
Non si Latoïdes jubeat, jubeantque Camœnæ,
Non si omnes omnem polliceantur opem.
Namq; tuum tacito Genium seu pectore volvo
Seu Genus, & priscæ Nobilitatis avos,
Mens stupet, & subitò tecum in sublimia fertur
Nescia, nobilior sis Genere, an Genio.
Munera si numerem prædivitis aurea dextræ,
Ut sint innumeri non sat erunt numeri.
Quid referam puro manantes flumine Iambos?
(O utinam dignè dent mihi fata legi!)
Quos tu magne Maro, quos tu facunde Catulle,
Dixeris humano doctius ore melos;
Quos si cum Musis Vatum Deus audiat, illæ
Dousiades fieri, hic Dousa repentè volet.
De me (si fas est de tantis dicere rebus,
Grandiaq; ore minùs conveniente loq.)
Dispeream, si non, licet indignâ aure bibentem,
Totum nescio quò me mihi surripiant.
Credo equidem, neque me ignarum sententia fallit,
Versibus occultum numen inesse tuis.
O quoties raptus gratâ dulcedine cantus
Aönidum videor per juga celsa trahi!
Pierides ubi, Thymbræo praeunte, Camœnæ
Pulsant Dousææ plectra canora lyræ,

C *Concor-*

Concordiq́; sui referunt melos ore Poëtæ,
Tanta ars in cantu est, tantus in arte lepor.
Ipse fateretur sua dedignatus Apollo
Carmina, sed dignum non putat esse Deo.
Agnoscit tamen: & quod eum pudet ore fateri,
Hoc tua plectra, illo percutiente, sonant.
Ergò tace mea vena: loquatur Apollinis alti
In Dousæ laudes officiosa lyra.
Tu mireris utrumq́ue, sed hunc quoq́ue præfer, ab illo
Nempè, etiam Phœbus quod canit, omne fluit.
Cujus inexhausto currens è flumine rivus
Si mea divinis ora rigaret aquis,
Non ego Castalios optarem haurire liquores,
Non Eurotæis ebrius esse vadis.
Sed mea tunc flueret, quæ nunc est arida, vena,
Et dignum Jano funderet ore melos.
Tu modò, qui terras Batavas hoc fonte rigasti,
Da Stygio immunis ut fluat à latice.
Ipse priùs quidquid Parnassi est devoret Orcus,
Inmergatq́; suo totum Helicona lacu.
Aut fa[illegible]us iterùm flammis absorbeat undas
Phœb[illegible] ab Eois æthere raptus equis.
Quàm Phlegethonteæ flammâ torrente paludis
Hic fons, aut Stygiis inficiatur aquis.
Sin minùs, ipse etiam versus effundat Avernus,
Phœbæo vatum plus Helicone ferax.
Allicietq́; ipso, si sint modò, numina cœlo,
Tartareo ut cupiant vivere læta sinu.
Quod si contingat, Superi quæ regna tenebunt?
Quippè Orcus tandem totus, Olympus erit.

IIII. Ad

IIII.

Ad Scholam Bremensem, De Morte IOHANNIS MOLANI, ejusdem moderatoris.

O Nauis, quæ te rapient freta, qui maris æstus?
Quos nunc in scopulos præcipitata rues?
Sæpè cruentatæ furibundo turbine pestis
Errasti dubiâ naufraga puppis aquâ.
Sæpè venenatæ versata es turbine linguæ,
Sæpè venenatæ fluctibus Inuidiæ.
Magna queror, sed vera queror, tu magne Rolande
Testis es, in patrio qui geris arma foro.
Testis Clauigeræ liberrima curia Bremæ,
Testis es ipsa tui, si cupis esse, mali.
Sed quid? an Oceanus mersam te vidit? an ille,
Qui deducta gerit nomina mole Mola?
Perfida mentiris, si dicis. Perfida dico,
Si rectoris opem, si mala passa negas.
Sed, scio, non dices; agnosces facta Molani,
Agnosces tanto te superesse viro.
Si tamen & super es. Nam quis tua vela, tuamque,
Quâ Mylius rexit, diriget arte ratem?
Quis tibi Syrenes, penitusque latentia saxa,
Quis Syrtes saluam præteriisse dabit?
Quis Boreâ impulsam tuto te littore ponet?
Quisve leget tabulas fracta carina tuas?

Nónne vides? sed, credo, vides, & plura. quid ergo?
Quære tibi portum, si sapis, instat hyems.
Instat hyems, æstas Mylium comitata recessit.
Et dic, In portu est, qui Palinurus erat.

Viro optimo Wybrando Thaddæo Harl. Petrus Scriverius.

ILLE tuus Civis, tuus, ô Thaddæe, Sodalis,
Ille Puer Patriâ notus in Urbe tibi;
Cùm vigil ingenuas vobis effunderet Artes
Hagius, & Latias accumularet opes;
Hâctenùs arguto deduxit Carmina filo
Magnus Hiantea Wertelo potor aqua.
Pauca quidem. velles, ut vellem, plura dedisset,
Ne tantùm nobis mota saliva foret.
His tamen in paucis nihil est quod demere possit,
Nil quoque quod possit addere Blennus habet.

IVSTVS LIPSIVS In Epistolâ ad FRANCISCVM IVNIVM.

DE affectu tuo in Georgium nostrum quàm mihi suave! Vivit enim in animo meo ille adolescens, magni ingenij, magni acuminis, & qui ad summa omnia venisset, nisi Deus ad verè summa illũ evexisset. Felix, qui ereptus tot instantibus malis, & tot futuris. Nam favillæ huius nostri incendij spargi mihi videntur, & iam ad vos ire, cõprehensuræ (utinam fallar!) Garmaniam totam acri igne.

IANVS

IANVS DOVSA NORDOVIX.

Ad GEORGIVM BENEDICTVM HARL.

Melos ex puris Iambis.

MOLANVS ille, Siderum recens nitor,
Poli additus Quiritibus,
Ut in se, ut, ecce, gaudet! ut placet sibi
Poëma ruminans tuum!
Poëma, quale vota non modò mea,
*Sed & * Casana vicerit.*
Bono herclè iure: nam quid usquàm acutiùs,
Venustiùsque Sol videt?
Beatus ergò tali Alumno ovans sibi,
Nihil nisi indolis tuæ
Peracta grato amore Funeralia,
Georgiumque cogitat,
Pysq; verba Cœtibus prait tua,
Honore splendidus novo,
Minerval hoccé pluris æstimans tuum,
Aromatum omne quàm genus,
Imaginumque Funerumque inanias.
At hoc quid insolens? ubi
Sacro illa digna Manium Silentio
Famelicâ aure plebs bibit,
Lepôribusq; plaudit ac favet tuis?
O æmulande nemini!

* M. Anton. Casanova epigrammatarius argutissimus.

Tibi Iuventa floridos movet sinus;
Tibi Camœna dat jocos,
Camœna tritum & obvium sonans nihil:
Cüi Modestia it comes.
Beate Ephebe, Vere cüi novo bona
Tot annuêre Cælites!
Sed et beata Vate te addito sibi
Lycæa nostra, nec minùs
Batavia omnis, Harlemumq́, primum ubi
Adeptus aërem Puer.
Boniq́ partem in hanc venire quid vetat
Meum, ô, tuumque Lipsium?
Sibi ipse, mique gratuletur ut solens
Lepôre Carminis tui,
Facetiâque. Sed quid hæc ego, h[illegible] ita
Imaginosa fabulor,
Migrationis immemor velut tuæ?
O irritæ Spei mor[illegible]!
O âspra Fata! ô [illegible]dinis nova
Acerba suscitabula,
Necessitatis alligata vinculis!
Cüi obsequi ambo cog[illegible]r.
Benè evenire quam vol[illegible] precor tibi,
Procul Britanna trans Freta
Tuo absque Cive Dousâ, & absque Lipsio
Iture Cantabrigiam.
Vale prôindè (plura non sinit dolor)
Abique sospes, ac redi.

GEORGII

GEORGII BENEDICTI TVMVLVS.

HIC *est hic Benedictus ille, carus*
Dousæ, Lipsiadæque, Iunioque:
Quem Bata[illegible] *tota, quem Britan*[illegible]
Quem Ger[illegible]*ica perstrepunt* [illegible]
Hic est hic Benedictus ille, [illegible]
Festivis F[illegible]*mmatum libellis:*
Hic est [illegible] *ille, lingua*
Suâ, non [illegible]*n locatus:*
Hic est hic [illegible]*, vates*
Latino bon[illegible]*.*
Huic si fa[illegible]*videnti*
Viventique [illegible]*sti;*
Noli nunc [illegible]*li:*
Sed levem [illegible]*e terram.*

POETÆ & CIVI MEO
SVAVISSIMO
NON ROGATVS NEC TESTAMEN
IVSSVS SPONTE MEA LVB. MER. P.
P. SCRIVERIVS H.